dant: Si enim (inquiunt illi) Propositio illa proscripta est: *Semipelagiani admiserunt Gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium bonorum operum, etiam Fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, hujusmodi Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere*: Si, inquam, ea Propositio proscripta est; non ergo Semipelagiani Gratiæ prævenientis interioris necessitatem ad initium bonorum operum, ac ipsius etiam Fidei cognoviſſe. Secundum; Jansenianæ Propositionis Damnationem nihil Molinianis partibus adfavere. Ex quibus colligere subinde liceat, eodem cum Semipelagianis telo petitos esse Molinianos, quod eam duntaxat interiorem Gratiam agnoscant, quæ libero arbitrio subdita sit.

Quod primum attinet; eximendus statim occurrit scrupulus, quo Viri minus emunctæ naris prima fronte laborare solent. Cum etenim ex Epistolis SS. Prosperi, & Hilarii ad D. Augustinum, & ex ipsius S. Augustini Libris *de Prædestinatione Sanctorum*, & *de Dono Perseverantiæ* certo constet, Semipelagianos initium bonæ Voluntatis, & Fidei in nobis, aut a nobis asseruisse; illico colligunt, eos Hæreticos Gratiæ interioris necessitatem ab initio boni operis penitus submovisse. Præpostera est illa consecutio. Duobus enim modis fieri potuit, ut initium Fidei, & Salutis a nobis esse existimaverint Semipelagiani; aut quod illud initium nudæ Naturæ tribuerent; aut quod illud tali Gratiæ adscriberent, quæ ob sui versatilitatem, & indifferentiam in Naturæ potestate relinqueret, ut ea pro nutu suo vel uteretur, vel abuteretur: sic enim profecto evenit, ut ad Naturam etiam Salutis initium devolvatur.

Hoc porro secundo modo existimasse Massilienses, (quod præsentis Instituti præcipuum Caput est) multis ostendemus; quæ, judicio quidem nostro, nulla cavillatione declinari possunt.

Achillis instar illud est, quod habet D. Prosper in sua ad Augustinum *Epistola* 225., ubi Sententiam Semipelagianorum enarrans de Gratia vocationis notat, illos eam Gratiam agnoviſse, non uti præviam, sed ut comitem humanorum meritorum; tametsi aliunde faterentur, Voluntates quodam sensu ab istiusmodi Gratia præveniri: *Non considerant*, inquit D. Prosper, *se Gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis Voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas*. Voluntatem ergo vocante Gratia præveniri Semipelagiani fatebantur; quamvis hæc juxta illos humanorum meritorum comes, non prævia foret; quatenus nulla merita parturiret, nisi eam humana ipsa Voluntas nativo conatu redderet efficacem. Testatur id explicatissime Augustinus ipse *Lib. de Præd. SS. cap.* 1.; ubi Epistolæ D. Prosperi respondens, ita de Semipelagianis observat: *Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra, cum Ecclesia Christi, peccato primi Hominis obnoxium nasci Genus humanum, nec ab isto malo, nisi per Justitiam secundi Hominis aliquem liberari: pervenerunt etiam, ut præveniri Voluntates Hominum Dei Gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant*. Gratiam igitur interiorem prævenientem ad Salutis initium tandem agnoverant Massilienses: nec tamen illos idcirco pro Catholicis habuit Augustinus; quod illam mere excitantem esse dicerent, & humano arbitrio omnino subditam.

Idem evincit gravis eorumdem Semipelagianorum criminatio in Augustinum, quam D. Hilarius in sua ad S. Doctorem Epistola fusius exponit. Librum ediderat Augustinus *de Corrept.*, & *Gratia*; in cujus *Capite* 12. duo Auxiliorum genera distinguebat; Auxilium *sine quo*; quod *sufficiens* recentiores Theologi vocitare solent; & Auxilium *quo*, vulgo in Scholis *efficax* nuncupatum. Primum Innocentiæ Statui proprium dixerat Augustinus; alterum Naturæ lapsæ necessarium. Quid ad hæc Semipelagiani? Augustino vitio verterunt quod novum Auxilii efficacis genus in Natura lapsa desiderat ultra sufficiens illud Auxilium, quod sanæ Naturæ proprium assignaverat; cum illud utrique Statui abunde sufficeret: aliunde vero extinguendi liberi arbitrii periculum esset, si efficax illud Auxilium Homini lapso, uti necessarium, accederet. Liquet id totum ex laudata D. Hilarii ad Augustinum Epistola. Jam, inquio, si Semipelagiani nullum Augustino negotium facessivere, quod Auxilium *sine quo*, sive *sufficiens* ad initium, & consummationem Salutis in Adamo necessarium diceret; sed quod aliud, nimirum efficax in Homine lapso desideraret; Auxilium itaque *sufficiens* Augustinianum in Adamo innocente, uti necessarium, admittere minime detrectabant. Quanto itaque magis idem illud in Homine lapso, uti necessarium agnoscebant? Cum enim in Homine lapso reliquias tantum primævæ sanitatis admitterent, existimare certe non poterant, læsum Hominem minoribus Auxiliis indigere, quam Homo illæsus egebat, majoremque inesse Virtutem reliquiis Integritatis humanæ, quam ipsimet Integritati primigeniæ. Non omnem ergo a Salutis initio interiorem Gratiam in lapsa Natura semovebant; sed eam tantum, quæ efficax esset; quam videlicet Augustinus, cui litem intulerant, suo illo Libro *de Corrept. & Gratia*, necessariam prædicaverat. Interiorem itaque Gratiam nude sufficientem, atque versatilem necessariam ad Salutis initium fatebantur; quacum optime cohærere putabant initium illud meriti naturalis, libertatem arbitrii, correptionis, & adhortationis utilitatem; quæ omnia per efficacem Augustini Gratiam eliminari querebantur.

Juvat hoc ipsum Observatio minime pœnitenda. Semipelagiani, si bene nostis, initium Fidei ex nobis, & a Natura esse eo pari modo dicebant, quo Perseverantiam ipsam finalem Naturæ viribus adscribebant. Constat id ex Prosperi, & Hilarii ad Augustinum Epistolis, nec non ex ipsomet Augustino *cap.* 17. *Libri de Dono Perseverantiæ*: *Sed ii qui solum* (inquit ille) *initium Fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei Dona esse non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide* &c. Porro dum Semipelagiani Perseverantiam in arbitrii potestate reponebant, nudum arbitrium sepositа quacumque interiori Gratia, nequaquam intelligebant; sed liberum arbitrium Gratia illa versatili probe instructum; quam nutu suo cassam aut efficacem perinde faceret: quandoquidem & in ipso Innocentiæ Statu, cui tanta non erat adjuvantis Gratiæ necessitas, hanc ipsam necessaria m fatebantur, Hilario teste, *ut Adamum integris viribus juvaret Gratia volentem, sine qua perseverare non poterat*. Dum igitur initia Salutis, & Fidei Natu-

Naturæ viribus Semipelagiani adscribebant, Gratiæ interioris adstipulationem præsupponebant, modo eam versatilem, & libero arbitrio subditam prædicarent. Hinc illud Augustini celebratum Oraculum *Lib. de Dono Perseverantiæ cap.* 7.; ubi Semipelagianorum de Dono Perseverantiæ Hypothesim veram fore pronunciat (in sensu tamen a nobis superius explicato, dum de necessitate Gratiæ efficacis in Statu Innocentiæ sermonem haberemus) si Homo nunc primæva Integritate frueretur; sed interim falsam esse; quia ab ea Integritate plurimum abest. Semipelanianos ergo Gratiam interiorem Homini lapso ad perseverandum necessariam admisisse perspectum est; alias Systema Semipelagianum nequidem pro Statu Naturæ innocentis verum fore pronunciasset Augustinus, qui perseverantiam Adami Gratiæ cuipiam interiori, utut minimum, sufficienti, seu Auxilio *sine quo* tam diluide, tam luculenter adscripsit *Libr. de Corrept & Grat. cap.* 11.; 12.; & 13.

Et vero, dicamus bona fide, quid Semipelagianos impulisset ad eam interiorem Gratiam mere excitantem a Fidei, & Salutis initio procul arcendam? Cum, ea etiam admissa, in tuto sua somnia facillime ponerent; & ab iis incommodis procul abscederent, quæ in Augustiniana efficaci Gratia tantum exhorrebant. Enim vero, modo prævenientem illam, & interiorem Gratiam ad initium Fidei necessariam libero arbitrio subderent, a quo pro nutu efficax, vel inefficax fieret, evanescebant omnia illa, quæ sibi in Augustini Systemate monstra finxerant; Fatum per Christi Gratiam invectum, excisa Libertas, inducta Necessitas, Orationis, Correptionis, Adhortationis inutilitas consecuta: nihil enim istiusmodi in Gratiæ interioris Hypothesi pertimescendum; cujus videlicet usus ab ipso arbitrio pendet; totaque ex ejus nutu suspensa, versatilis hæret, & anceps. Maxime cum alta Semipelagianorum Ingenia fuisse nemo neget.

Id ergo pro certo statuendum: Semipelagianos Gratiæ interioris, & prævenientis necessitatem ad initium Salutis, & Fidei concessisse; sed eo se recepisse, ut vellent, Gratiam illam, cujus opem ad ipsa bonorum operum exordia requirebant, liberi arbitrii nutui subesse, suamque a libero arbitrio determinationem emendicare: sic ut plane nihil (eo saltem in Capite) Semipelagianos inter, ac Molinianos discriminis inveniri a quoquam possit.

In sequenti Exercitatione idem Argumenti genus, congestis Semipelagianorum Testimoniis, persequemur; & adversæ Patris Momenta, Divina, de qua agimus, opitulante Gratia confutabimus.

PRÆLECTIO VII.

Superius de quarta Jansenii proscripta Propositione Argumentum continuatur: atque in quo situs fuerit Massiliensium Error, uti & in qua Propositionis parte Jansenius hæretice senserit, declaratur.

TAmetsi Semipelagianorum mentem de Gratiæ prævenientis, & interioris necessitate ad ipsa Fidei, ac Salutis initia satis jam in aperto posuerimus veterum Patrum Testimonio, qui illos data opera confutarunt; facturos nihilominus nos operæ pretium existimamus, si, quid ipsi ea in parte propugnarint, ac senserint, propria eorumdem confessione monstremus. Est enim illud, ut scitis, plane decretorium probationis genus, quo Rei Testium suffragio jam victi, suo veluti ore, atque Confessione condemnantur.

Porro Semipelagianos Gratiæ prævenientis, & interioris necessitatem ad ipsa Fidei, & Salutis initia propugnasse, eoque se recepisse demum, ut dicerent, eam liberi arbitrii nutui subesse, suamque ab Voluntate nostra determinationem emendicare, ex eorumdem confessione demonstrandum aggredior: ut hinc colligere vobis liceat, Molinam, cui non alia, nisi versatilis Gratia arridet, eodem cum Semipelagianis luto fordere.

Semipelagianorum ducet agmen Vitalis Carthaginensis, hujusce Hæreseos Præformator; quem Augustinus, data ad illum *Epistola num.* 217. nervosissime confutavit. Is enim, tametsi contenderet acriter, Fidem in nobis a nobis esse, atque ex ipsa nostra Voluntate germinare, quam nobis in nostro Corde non operatus est Deus; Gratiæ nihilominus interioris moralem excitationem necessariam reputabat: ajebat quippe, *Hominem posse, Dei suasione præcedente, consequente consensione doctrinam* (Dei) *sectari; quod libertate naturali, si vult, facit; si non vult, non facit*. Quo vero pacto duo ista sibi mutuo cohærebant; præcedere scilicet Dei suasionem ad Fidem, & tamen Fidem a nobis esse? Quia nimirum prævia illa versatilis Gratia ab arbitrii consensu pendula, quam unicam Semipelagianus ille fatebatur, Fidem reipsa non operabatur in Homine; sed ipsa potius humana Libertas, quæ Gratiæ Indifferentiam nativa consensione determinabat.

Præcursori dat manus totius Semipelagiani Ductor Exercitus Joannes Cassianus *Collat.* 13. *cap.* 3. ubi internæ, ac prævenientis Gratiæ necessitatem propugnat ex Instituto: *Non solum actuum*, inquit ille, *verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Et cap.* 6.: *Et idcirco, licet in multis, imo in omnibus possit ostendi, semper Auxilio Dei Homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad Salutem pertinet, per se solam, idest sine Adjutorio Dei, posse perficere* &c. Gratiam igitur excitationis, & inspirationis agnovit ad humanæ Salutis initium Semipelagianorum Antesignanus, a D. Prospero hoc etiam in Capite tam potenter exagitatus: & quorsum? Quia quam ad Salutis initium necessariam Gratiam admittebat, Voluntati ita subiiciebat, ut ex ejus nutu tota penderet, fuæque Versatilitatis, & Indifferentiæ determinationem acciperet: unde & ajebat versipellis Homo, eodem *cap.* 3.: *Nostrum vero est, ut quotidie attrahentem nos Gratiam Dei humiliter subsequamur, vel certe dura cervice, & incircumcisis, ut scriptum est, auribus eidem resistentes, per Hieremiam mereamur audire: Numquid qui cadit non resurget? Aut qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est Populus iste in Hierusalem aversione contentiosa? Induraverunt faciem suas, noluerunt reverti*. Cum contra Gratiæ usum ab ipsa Gratia repetendum contenderet D. Prosper.

Nil minus luculenter eandem inspirationis Gratiam ad Salutis initium necessariam agnovit alter Semipelagianæ militiæ centuriatus Miles, ac pene Dux Gennadius Massiliensis *Libr. de Ecclesiasticis Dogmatibus cap.* 21. (in Append. Tom. 8. Operum S. August. pag. 76.) *Manet itaque*, inquit ille, *ad quærendam Salutem arbitrii Libertas, idest rationalis Voluntas; sed admonente prius Deo, & invitante ad Salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione Salutis; hoc est, Inspiratione Dei. Ut autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse, libere confitemur. Initium ergo Salutis nostræ Deo miserante habemus; ut adquiescamus salutiferæ Inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur, quod adquiescendo admonitioni cupimus, Divini est Muneris*. Qui-

bus profecto verbis salutiferam Inspirationem ad Salutis initium agnoscit, atque ita Gratiam moraliter excitantem. Cur hic porro ferulam meruit & Errantibus adscriptus est? Quia ita nostræ potestatis esse existimavit, quod salutiferæ Inspirationi, & Gratiæ acquiescamus, ut re ipsa eam a nobis respui quando libuerit contingat: nec aliam ullam necessariam existimavit; nisi quæ tota ex Voluntatis nutu pendeat, & ex nativa arbitrii Libertate Indifferentiæ suæ determinationem emendicet.

Sed quid plura? Argumento nobis sit Augustinus ipse, quem initio Conversionis suæ ante Episcopatum Semipelagianorum luto hæsisse, certissimum est; cum id ipsemet tam vere, quam humiliter fateantur *Lib. de Præd. SS. cap.* 3. Is quippe iis ipsis in Libris, quos junior, & huic luto etiamnum hærens elucubravit, prævenientem nihilominus interiorem Gratiam ad salutis initium commendavit; ut liquet ex *Libr.* 1. *Retract. cap.* 23., ubi hæc inter cætera leguntur in fine Capitis. *Rectissime itaque alio loco in eodem Libro* (quem nempe scripserat in Errore versans) *dixi: quoniam si non ex operibus sed Misericordia Dei & vocamur ut credamus* (notate hæc verba), *& credentibus præstatur, ut bene operemur . . . . . quamvis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractaverim. Hic Liber sic incipit: Sensus hi sunt in Epistola Pauli ad Romanos.* Ita Augustinus. Ex quo perspicuum fit, Semipelagianos hanc ipsam Gratiam agnovisse; eorumque Errorem non in eo fuisse positum, quod Fidei, & Salutis initium in nuda Natura, semota quacumque excitante Gratia, constituerent; sed quod non aliam ad id necessariam Gratiam agnoscerent, quam quæ vim suam ex arbitrii consensione repeteret. Sic enim consequens omnino erat, ut ipsa Salutis initia non tam ipsi Gratiæ tribuerent, quam Naturæ, ex qua indifferentis Gratiæ determinatio germinabat. Hoc idem confirmat Augustinus Semipelagiano luto adhuc hærens. Perspicua ejus verba sunt *Lib. de diversis quæstionibus octoginta tribus quæst.* 68. quem a primo suæ Conversionis tempore lucubravit: *Nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus Hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* En tibi perspicue utramque Gratiam, internam scilicet, & externam a Viro tunc temporis Semipelagiano commendatam. Rursus *Libro de vita beata*, quem adhuc Catechumenus scripsit *in Disputatione tertiæ diei: Admonitio*, inquit, *quædam, quæ nobiscum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulso omni fastidio sitiamus, de ipso ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris jubar Sol ille secretus infundit.*

Hinc intelligitis, opinor, quam inutiliter Ingenium exerceant, qui ut Semipelagianos Gratiam omnem interiorem ab initio Salutis semovisse probent, ea congerunt veterum Testimonia, quibus liquet, eos initia Fidei nativis viribus tribuisse. Enimvero non obest interior illa Gratia, quin initium Salutis, & Fidei nativis viribus adscribatur, si hæc humanæ Voluntatis arbitrio subditur, ut putabant; cum hac in Hypothesi bonus Gratiæ usus a nativis viribus repetatur, a quibus tota Gratiæ Virtus suspenditur, ac dependet. Sic enim in Naturam initium Salutis, ac Fidei primo refunditur, a qua indifferentis, atque versatilis Gratiæ determinatio repetenda venit. Sicut dum quis arma confert alicui, ut pro nutu suo illis utatur, non armis, vel illi, qui ea contulit, laus victoriæ tribuitur; sed ei, qui armis bene usus, quibus poterat male uti, hostem strenue debellavit.

Nihilo felicius illi desudant, qui ea summo studio Loca congerunt, quibus asseritur, Semipelagianos censuisse, priorem esse Hominis obedientiam, quam Gratiam; nativos conatus præcedere Vocationem, Divinumque Præsidium. Nihil quippe tot illa Loca conficiunt: quibus id evincitur unum; priorem videlicet esse Hominis obedientiam, atque conatum ipsa Divinæ Vocationis efficacia, non ipsa per sese Inspiratione & Excitatione Divina: quatenus nempe conatus ipse Voluntatis, ac præstita versatili, & indifferenti Gratiæ obedientia eamdem efficacem reddit, atque determinata, ut Salutem operetur in nobis, quæ iners aliunda remaneret.

Morari fortassis Aliquem posset, quod de Semipelagianis habet D. Prosper in sua *Epistola ad Augustinum* 225. *: Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii Libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium Gratiæ merito credulitatis acceperint.* Unde extundere Aliqui putant, Semipelagianos spontaneæ credulitatis nomine Fidem ex nuda Natura profectam intellexisse; primæque Gratiæ subsidium merito credulitatis tribuisse.

At nec ista quidquam officiunt. Spontaneæ siquidem credulitatis nomen a Semipelagianis usurpatum Fidem a sola Natura profectam nequaquam indigitat; sed Fidem ex ea Gratia natam, quæ & Voluntati sit subdita, ejusque motum, ac determinationem expectet. Imo vero Augustinus ipse non absimilem loquendi modum usurpat *Lib.* 2. *de pecc. mer. & remiss. cap.* 5. de Voluntate efficaci Gratia mota sermonem instituens: *Adjutor enim noster* (inquit) *Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* Quod porro subjungunt Semipelagiani, Homines auxilium Gratiæ merito credulitatis accipere, de Gratia cooperante sine dubio dictum est, quam Fidei meritis adscribebant; non de operante, a qua præveniri Voluntates Hominum fatebantur, teste Augustino in antehabitis appellato, *de Præd. SS. cap.* 1.

Pari sensu intelligenda venit trita illa Semipelagianorum Criminatio apud Prosperum in laudata ad Augustinum Epistola: *Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat Voluntates: & sub hoc Prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem . . . . . .* Nemo enim non intelligit prudens, id de æterno Dei efficaci Decreto ab Augustino tantopere commendato dictum esse; ex quo uno tot illa incommoda sequi Semipelagiani mussitabant; non autem de Gratia præveniente Voluntatis nutui subdita. Ecquis vero stipites adeo credat Viros illos, quorum & Pietatem, & Ingenium Prosper, & Hilarius commendarunt, ut crederent, removeri omnem industriam, tolli virtutes, & merita, ac fatalem quamdam necessitatem induci per Gratiam illam, quæ vim suam omnem ex Voluntatis humanæ consensione reciperet, vel dissensu amitteret?

Restat ultimum ex Quartæ Propositionis Jansenianæ Damnatione petitum Argumentum, quod nostri potissimum Instituti videtur esse. Ea siquidem Propositio his verbis expressa est: *Semipelagiani admittebant Gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium bonorum operum, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere.* Cum enim hæc falsitatis, & hæreseos postulata sit, atque proscripta, falsum videtur, & erroneum affirmare, Semipelagianos Gratiæ prævenientis, & interioris necessitatem ad initium Salutis, & Fidei propugnasse. Siquidem ex Propositionis unius falsitate sequitur necessario ejus Contradictoriæ veritas.

Mirum quantum hoc Argumentum ebuccinent Moliniani, quo ex tempore Jansenii Damnatio lata, vulgataque est. Nos illud ipsum ultimo omnium loco ducimus. Duas enim in quarta illa Propositione partes caute secernimus: primam Historicam, Dogmaticam alteram. Historica illa est, quæ Semipelagianorum de prævenienti Gratia Sententiam exponit: Dogmatica illa, quæ eorum Errorem in eo positum dicit, *quod vellent hujusmodi Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtemperare.* Pontificiam Damnationem in hanc ultimam Propositionis partem incidere contendimus, non in alteram. Idque duplici ratione: primo; quod ad Propositionis complexæ falsitatem satis abunde sit, si pars altera falsitati subsit, uti Dialecticæ Institutiones decernunt: secundo; quod Ecclesiasticæ Definitiones de Factis historicis esse non possint, quæ ex Scripturis, aliisve Fidei Regulis eliqueri nequeunt, sed aliis Documentis, quæ nihil cum Fide commune habent. Hujus mihi Responsionis Auctores sunt Franciscus Macedo in eleganti Opusculo, cui Titulum fecit: *Mens divinitus inspirata Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papæ X, super quinque Propositiones Cornelii Jansenii*, ut refert Gonetus *Disput.* 2. *de Hæresi Semipelagiana art.* 3.; & Vincentius Contensonius *Lib.* 8. *Dissert.* 3. *histor. de Erroribus circa Gratiam*. Ne quis vero Responsionem hanc, ultra quam par esset, audacem existimet, quasi minus Auctoritati Pontificiæ tribuat, Viri piissimi, religiosissimique Suffragium addam; qui cum & Romæ scripserit sub ipsius Pontificis oculis, & approbantibus Romanæ Curiæ Censoribus, nihil scripsisse putandus est, quod Pontificiæ Auctoritati plus æquo detraheret. Is est P. Antonius Massoulie, Vir ob Pietatem singulari Eruditioni conjunctam nunquam sine laudis præfatione nominandus, in eleganti Opere *de Gratia Adami*, *Tomo* 2. *Dissert.* 4. *quæst.* 3. *art.* 7.; ubi sic habet: *Quod ad primam vero partem spectat, nihil attinet dicere in præsenti, cum ea per se ad Fidem non perlineat, sed pure historica sit, quæ verbo Divino neque scripto, neque tradito resolvi potest: sed ex Historia humana eruenda est, & ex Libris ipsorum Massiliensium, ac imprimis ex duplici Epistola SS. Prosperi & Hilarii ad Divum Augustinum de Erroribus Massiliensium scripta.* Quibus verbis nihil luculentius esse potest, ut constet, Pontificiam Definitionem, primam illam damnatæ Propositionis partem nullatenus attigisse.

In quo ergo, inquies, Semipelagianorum Error de initio Fidei situs erit, si prævenientem, & interiorem Gratiam ad illud necessariam agnoverunt? Cum alioquin ex Pontificio Oraculo compertum sit, in eo minime fuisse repositum, quod Gratiam illam talem esse pronunciarent, cui posset humana Voluntas obsistere. Hæc enim est Gratia sufficiens Thomistica.

Repono facile, ex hac tota, & ex Superiori etiam Prælectione academica constare penitus, in eo duntaxat fuisse situm, quod Massilienses non aliam ad initium Fidei, nisi versatilem Gratiam, & liberi arbitrii assensui subditam prædicarint; nullam agnoverint ex sese efficacem, quæ liberum sibi arbitrium subderet. Sic enim Salutis initium in Naturam ipsam refunditur, a qua est illa versatilis Gratiæ determinatio. Quare juremerito Jansenii Propositio proscripta fuit, ut hæretica, quia ille Semipelagianorum Errorem in eo situm asseruit, quod Gratiam quamdam admitterent, cui posset humana Voluntas resistere, ac reluctari; quasi hujusmodi Gratia non daretur. Hoc enim asserere procul dubio Hæresim sapit; cum dentur re vera Auxilia pure sufficientia, quibus identidem reluctatur humanum arbitrium; quæque necessario sunt admittenda & ut Dei Præcepta possibilia dicantur, & ut Generalis illa salutis omnium Voluntas, a qua derivantur, in Deo salvetur.

Unus tamen postremo loco superest scrupulus hic eximendus, ne quidquam omittere videamur. Eccur porro, inquiet quispiam, integram Jansenii Propositionem damnassent Summi illi Pontifices, si quod in priori ejus parte legitur, veritate niteretur? Si Semipelagiani interiorem aliquam Gratiam prævenientem agnoscebant, cur ea Propositionis pars cum altera confundenda fuerat, totaque Propositio, nullo facto delectu, proscribenda?

Responsio in promptu est: Non enim alterum Propositionis membrum stare se solo poterat absque primo, ut Error dignosceretur; imo ut sensus ipse Propositionis haberetur. Particulæ etenim illæ, quibus Propositio tota constatur, antecedentia verba, ne vacuus reddatur sensus, necessario postulabant. Ecquis enim Propositionis intelligentiam assequeretur, si postrema duntaxat verba, in quibus situs est Error, legeret, vel audiret? Certe de quibus Hæreticis, vel qua de Gratia loquutus Jansenius fuerit, ignotum omnino foret, si primum illud Propositionis Membrum deesset. Hoc igitur in caussa fuit, cur integra Propositio decerpta fuerit, atque in Diplomate Pontificio descripta, quamvis non quoad omnia, quæ in ea continentur, verba, proscripta, atque damnata: quod quidem non semel in aliis etiam damnatis Propositionibus contigisse, perspectum habemus. Neque enim semper necesse est, dum Propositio aliqua censura notatur, ut quoad omnes sui partes proscripta intelligenda veniat; sed satis est, quod deficiat in aliqua, ut tota censura digna censeatur.

Ergo, inquies, si res ita sit, Semipelagiano Errore laboravit Ludovicus Molina, eoque etiamnum luto hærent quotquot Molinianismum profitentur, ac fovent? Non aliud quippe Gratiæ genus agnoscunt illi, nec dari reapse contendunt.

Servent ipsi, si possunt, fines suos, & ab eo se laqueo solvant. Neque enim Officii mei esse arbitror, eos a stricto laqueo liberare; cum potius ea semper fuerit ab enato Molinianismo Thomisticæ Scholæ contentio, Molinam Semipelagianismum suscitasse: eaque de re solemniter eorum APOSTOLICA SEDE Prædicatorum Ordo quondam expostulavit. Interea tamen, cum ea in Caussa APOSTOLICÆ SEDIS JUDICIUM nedum prodierit, intra Theologicæ Tractationis limites continemur; Difficultatesque, quas eorundem Sententia patitur, ex Officio nostro proponimus; nec tamen nostram in illos accusationem de suscitato Semipelagianismo, uti rem eliquatam, ac judicatam venditamus; nec absolute pronunciamus, eundem omnino esse Massiliensium, ac Molinianorum Errorem: hoc siquidem uni SANCTÆ ROMANÆ SEDI servatum esse JUDICIUM, certo scimus, ac profitemur. Quod si illos nullus tenet pudor, ne Thomistarum Doctrinæ Divinæ Gratiæ efficaciam cum Augustino, & Thoma, binis iisis Ecclesiæ Luminibus, quæ & Summi Pontifices, & Concilia Œcumenica perpetuo venerata sunt, mordicus propugnanti probrosos identidem titulos, nævosque affingant; non video cur & nobis potiori jure aliquando non liceat, in Molinianum recens Systema, quod nullis fulcitur vel Patrum Sententiis, vel Ecclesiæ Definitionibus, ea quæ sentimus pari libertate pronunciare: ut hinc quisque in-

intelligat, quam periculoſæ ſit aleæ, in Chriſtianæ Fidei Myſteriis nova Syſtemata fabricare. In ſequentibus de quinta Janſenii Propoſitione ſermonem inſtituemus.

PRÆLECTIO VIII.

Quintam Janſenii Propoſitionem ab APOSTOLICA SEDE proſcriptam vere Janſenium in hæretico ſenſu propugnaſſe, demonſtratur.

QUintam, & ultimam Janſenii Propoſitionem attingimus; cujus in damnatione plus ſollicitudinis poſuit Summus Pontifex; cujus in confutatione plus laboris, ac ſtudii & nos impendemus. Hanc in Pontificio Diplomate his verbis expreſſam legimus: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem ſudiſſe.* Videlicet, uti cernitis, Semipelagianæ Hæreſis Caput eſſe Janſenius exiſtimavit, quod uti Orthodoxæ Fidei Dogma profitetur Eccleſia.

Res eſt iſta plena myſterii; quod referare noſtri impræſentiarum erit Officii. Neque enim ſatis feliciter ab omnibus intelligitur. Faxit Deus, ut cum dixero, vos ſaltem intelligatis quotquot tirocinii titulo hic adeſtis. Janſenianus Error (ut rem aperiam) quinta illa Propoſitione expreſſus, non tam in falſi Dogmatis aſſertione poſitus eſt, quam in Catholicæ veritatis infamatione, & impacta Cenſura. Non enim conceptis terminis affirmat, *Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum*; ſed Catholicam de univerſali Chriſti morte veritatem Cenſura notat, atque perſtringit; *Semipelagianum eſſe*, inquiens, *dicere, Chriſtum pro omnibus Hominibus mortuum eſſe*. Si itaque Romanus Pontifex Propoſitionem illam quintam ſuo Diplomate configens nudam illam, ac ipſis duntaxat terminis, quibus effertur, condemnaſſet, ejus forte Damnatio a quibuſdam Cavillatoribus declinari potuiſſet. Damnatum quippe Janſenium forſitan obtendiſſent propter acerbitatem Cenſuræ, qua inculpabilem Opinionem infamaverat, non quod Hæreſim aliquam propugnaſſet. Eo plane modo, quo Theologi bene multi contendunt, quaſdam e Baii Propoſitionibus a S. Pio V. fuiſſe proſcriptas non tam ob Errorem in iis aſſertum, quam ob Cenſurarum acerbitatem, quibus alienas Opinationes infamabat. Quare, ut hoc Effugium præcluderet Innocentius X., Damnationem quintæ hujuſce Propoſitionis ita compoſuit, ut nedum acerbitatem Cenſuræ damnaverit, ſed & Errorem ipſum aperte confoderit: *Hanc Propoſitionem* (inquit ille Diplomate Pontificio) *uti falſam, temerariam, ſcandaloſam proſcribimus*: tum addit: *& intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Ubi Errorem diſtincte confoſſum, damnatumque perſpicue cernitis.

Eſt & aliud in ea Pontificis Damnatione Myſterium nil minus occultum, nil minus enodatione, & obſervatione dignum. Janſeniana videlicet Propoſitio ad examen Pontificium vocata de Chriſti morte *pro omnibus* duntaxat agebat; Pontificia vero Damnatio de Chriſti morte *pro omnium Salute* pronunciat. Quorſum id amabo? Nec enim a Myſterio vacare putandum eſt. Quia nimirum veritatem Catholicam minus in tuto poſuiſſet Romanus Pontifex, ſi Chriſtum *pro omnibus mortuum* duntaxat definiiſſet; nec illum inſuper *pro omnium Salute mortuum* declaraſſet. Sunt etenim, qui cum Chriſtum *pro omnibus mortuum* fateantur, *pro omnium Salute mortuum* diffitentur; ingenſque inter duo illa diſcrimen aſſignant; nempe ut Chriſtus *pro omnibus mortuus* aſſeratur, ſatis eſt, ut ex ejus morte aliqua ſaltem in omnes homines Gratia derivarit: porro reproborum etiam Hominum nemo eſt, in quem aliqua ſaltem ſtilla Gratiæ temporaneæ, ac ſaltem ſufficientis ex Chriſti meritis non effluxerit: cum & ii etiam Theologi, qui Infideles, & Induratos Auxiliis ſufficientibus in Infidelitatis, & Obdurationis pœnam privari docent; eos tamen iſtiuſmodi ſufficientibus Gratiis toto Vitæ tempore privari negent. Ut autem *pro omnium Salute* Chriſtus mortuus dici poſſit, nedum neceſſe eſt, aliquam ſaltem Chriſti Gratiam in ſingulos derivari; ſed & inſuper deſideratur omnino, Chriſti Gratias in ipſos etiam Reprobos derivatas, ex Chriſti morientis intentione ad illorum quoque Salutem fuiſſe directas. Quod certe difficilius captu eſt. Ne ergo aliquas Errori latebras relinqueret prudentiſſimus Pontifex, hoc ſecundum etiam Diplomate ſuo ſancitum voluit. Unde & addidit: *Propoſitionem intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro Salute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ Pietati derogantem, & hæreticam declaramus; & uti talem damnatus.*

Jam vero, poſt expoſitum Pontificiæ Damnationis ſenſum, ne ab inſtituta methodo deflectamus, de Janſenii ſenſu agendum venit: ut hinc omnes intelligant, nihil illi a Malevolis affictum eſſe, ut ejus Partiarii falſo garriunt, ſed illum ipſum Errorem ab Innocentio proſcriptum apertiſſime docuiſſe. Res extra omnem dubitationis aleam ponitur *Lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20.*; ubi poſt congeſta non pauca S. Auguſtini Teſtimonia, quæ in hujus Erroris confirmationem perperam, & oblique detorſerat, ita demum colligit ſub Capitis finem: *Quæ ſane cum in Auguſtini Doctrina perſpicua, certaque ſint, nullo modo Principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Juſtorum non perſeverantium æterna Salute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur . . . . Ex quo factum eſt, ut juxta Sanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro Diabolo deprecatus ſit.* Quo ex Loco, ſi bene conjicio, expreſſa eſt quinta Propoſitio confixa.

Ne autem Janſenii Partiarii reponant, Antiſtitem ſuum de mortis efficacia, non de ſufficientia locutum; illumque nullo pacto negaſſe, Redemptionem pro univerſis Hominibus factam ex intentione, & animo Redimentis; dubitationem eluit omnem Cornelius Janſenius hoc ipſo in Capite; ubi tritum illud Scholaſticorum Dictum ex inſtituto confutandum aggreditur: *Chriſtus omnes redemit ſufficienter, non efficaciter*; quod omnibus modis falſum exiſtimat, ſi de ſufficientia Voluntatis, & intentionis intelligatur, uti revera Theologi omnes intelligunt; ſolumque verum eſſe contendit, ſi de ſufficientia pretii ſermo foret; quatenus Chriſtus pretium Patri obtulit redimendis univerſis Hominibus, atque etiam Dæmonibus, plane ſufficiens.

Quid plura? D. Proſperum, uti minus æquum S. Auguſtini interpretem exagitandum ſibi ſumit Vir audaciſſimus; quod videlicet in Reſponſione ad primam objectionem Vincentianam, univerſalem Chriſti mortem ex Redimentis animo, & directione docuiſſet: ſcilicet id in D. Proſpero audaciſſime reprehendit, quod amplectendum illi erat, ut Catholicus, & Orthodoxus audiret. Janſenii verba dabo, ne quis dubitet: *Quia ipſa phraſis, qua quis dicitur, ſe pro aliquo redemptionem dare, præſeferre videtur, Redemptionem ex Re-*

di-

dimentis animo in uſum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi; quæ oblatio, ac directio Chriſti inanis eſſe non poteſt: & quia alioquin etiam pro Dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet . . . ac denique, quia Proſpero antiquior, & doctior Auguſtinus nunquam in Scriptis ſuis fatetur, Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe Redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit; hinc genuinius, ac verius reſpondemus, Chriſtum dici ſe dediſſe Redemptionem pro omnibus; hoc eſt, pro univerſa ſua Eccleſia toto Orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus Hominum generibus, Regibus, Privatis, Nobilibus, Ignobilibus, prout ſuperiori capite ex S. Auguſtino declaravimus. Ita Janſenius; quibus & Errorem ſuum, & audaciam multis prodit. Primo enim aperte ſe a D. Proſperi Sententia recedere fatetur, quem toties alias, & quidem merito, ut fideliſſimum D. Auguſtini Diſcipulum, & Interpretem commendaverat. Secundo; D. Proſperum cum D. Auguſtino committit, tanquam ea in re, quæ ſummi momenti exiſtimanda eſt, invicem ſibi adverſos; & quaſi S. Auguſtini mentem S. Proſper minime fuiſſet aſſecutus. Tertio (quod mirum eſt) plus ſibi credi vult Janſenius S. Auguſtinum interpretanti, quam D. Proſpero: quod neſcio quis æquis auribus, & pacato animo ferre poſſit. Quarto; eam interpretationem affert de Chriſti morte pro omnibus Hominum Generibus tolerata, ac ſi ea unica admittenda foret, cæteriſque omnibus adverſaretur. Quinto (quod hic potiſſimum quæritur) Errorem ſuum exerto digito demonſtrat; non eſſe ſcilicet Chriſtum pro Singulis mortuum ex intentione, oblatione, ac directione Redimentis.

Sed neque id obiter, ac velut ex occaſione a Janſenio dictum æſtimare par eſt: eo ducunt ſtatuta ab illo Principia, ſummoque ubique ſtudio poſita. Primum: a Statu Naturæ lapſæ Voluntatem Dei antecedentem ſemovit, & intra Status innocentis Naturæ cancellos reſtringi voluit: qua de re plura in ſuperioribus Tractationibus diximus. Porro ſunt hæc duo, uti ſcitis, ſibi mutuo connexa; Deum Voluntate antecedente velle Salutem omnium Hominum, & Chriſtum Voluntate conformi Divinæ Voluntati, Divinoque Conſilio ſemetipſum Redemptionem pro omnibus obtuliſſe. Quare cum primum negaſſet Janſenius, conſequens fuit, ut etiam alterum negaret.

Alterum Janſenii Principium eſt; nullum eſſe Auxilium ſufficiens ab efficaci diſtinctum; nullumque Auxilium efficax ad Salutem Hominis dirigi, ac deſtinari, niſi quod cum actuali perſeverantia conjunctum eſt. Quo fit, ut, etſi non neget Janſenius Auxilia Divina ex meritis, & morte Chriſti in multos etiam Reprobos derivari, in illos nempe, qui ad Fidem aliquando perveniunt, aut etiam temporanea, ut ita dixerim, Charitate exornantur, ſed in ea minime perſeverant; diffitetur tamen omnino, Auxilia illa ad eorum Salutem ullo modo deſtinari, qui Salutem minime conſequuntur: quia nullum aliud in iis Auxiliis munus agnoſcit, præter illud unicum efficaciæ robur, quo actum efficiunt. Unde & ultimo ſequitur, Chriſtum nullam illorum Salutis intentionem habuiſſe, nec pro illis Redimentis animo, ac directione fuiſſe mortuum, & Sanguinem effudiſſe.

Tertium Janſenii Principium eſt; Chriſtum Dominum pro ſolis Prædeſtinatis Patrem oraſſe, pro Reprobis autem nihilo plus, quam pro Dæmonibus ipſis: cujus hanc perbellam, ſi Superis placet, rationem aſſignat; quod alioquin, ſi pro Reprobis exoraſſet, inutilis ejus extitiſſet Oratio. Quaſi vero etiam inanis petitio fuerit, qua, ut a ſe Calix tranſiret, a Patre in Horto petierat. At, ut ut eſt, Error ex eo jacto Principio ſponte fluit. Cum enim Oratio Chriſti ejus Voluntatis eſſet interpres, noluiſſe illum Reproborum Salutem neceſſe profecto eſt, ſi pro illis nihilo plus Patrem, quam pro Dæmonibus exoravit.

Hinc Janſenii Partiarii viderint, nihil Antiſtiti ſuo ad invidiam affictum eſſe in hujuſce Propoſitionis Damnatione; cum & eam diſertiſſimis verbis aſſeruerit; eaque doctrinæ ſuæ Principia poſuerit, e quibus, filo veluti ducto, confixus Error derivatur.

Erit fortaſſe, qui dubitet, num Janſenius eo confidentiæ devenerit, ut nedum Catholicam illam veritatem oppugnarit; verum etiam inter Semipelagianos Errores reputaverit. At neque hac parte Janſenio quidquam affictum eſt, dum Aſſertio ejus nomine damnata his verbis expreſſa eſt in Diplomate Pontificio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & Sanguinem fudiſſe.* Re ipſa ſiquidem Dogma illud Semipelagianorum Erroribus adnumeravit. Liquet id *ex cap. 20. Libri 3. de Gratia Salvatoris*; ubi Catholicorum Theologorum Argumento, quo univerſalem Chriſti mortem oſtendunt, facturus ſatis, ita Reſponſum ſuum orditur: *Hoc Argumentum, ſicut & omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, ac præſertim Maſſilienſibus inculcatum eſt.* Quibus verbis Catholicos Theologos in eo adſtruendo Dogmate eodem cum Semipelagianis arare vitulo, diſerte ſignificat. Explicatius vero ſub finem *Capitis*: *Illa extenſio*, (inquit) *tam vaga* (Paſſionis Chriſti) *modernorum Scriptorum non alio ex Capite, quam ex illa generali & indifferenti Voluntate Dei erga Salutem omnium, & ex illa ſufficientis Gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit . . . . Quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia, velut Machinam a Semipelagianis introductam, repudiavit.* Ad Semipelagianorum igitur Hæreſim revocat Janſenius generalem illam Dei Salutis omnium Voluntatem, & univerſalem Gratiarum ſufficientium præparationem; cum e contra, ſi Vir acutioris criterii fuiſſet, ac minus ſuis præjudiciis occupatus, Semipelagianorum Errorem de Chriſti morte alio in Capite repoſitum eſſe cognoviſſet: Qua de re dicemus ordine ſuo.

Errore igitur Janſeniano in aperto poſito, Officii noſtri eſt, Dogma Catholicum vindicare; Chriſtique mortem pro Omnibus toleratam, & pretioſum Sanguinem pro Singulis effuſum demonſtrare. Erit hoc ſequentis Academicæ Prælectionis Argumentum.

PRÆLECTIO IX.

Quintæ proſcriptæ Janſenianæ Propoſitionis occaſione de Divina ſalvandorum Hominum Voluntate diſſeritur: Auguſtinus a Molinianorum calumnia vindicatur: Janſenii hallucinatio detegitur: generaliſque illa Salutis Omnium Voluntas in Auguſtiniano & Thomiſtico ſenſu, eliminatis Molinæ, ejuſque Aſſeclarum interpretamentis, Catholice aſſeritur, propugnatur.

DE Chriſti Sanguine pro Salute omnium Hominum effuſo dicturus in præſens in Erroris Janſeniani confutationem Difficultatem ex intimis viſceribus peto; a ſincera ſcilicet Voluntate, qua Deus Salutem omnium Hominum velle dicitur. Cum enim Voluntatem ſuam Divino nutui, æternoque Conſilio per omnia ſubditam Chriſtus gereret, pro iis omnibus ſine controverſia San-

San-

Sanguinem fudisse dicendus erit, quorum Salutem Deum velle, constiterit.

Id ut feliciter exequar, primumque stabiliendæ Catholicæ Veritatis Fundamentum ponam, versandum aggredior celebratum illud Pauli 1. *ad Timoth. cap.* 2. scribentis Oraculum: *Qui vult omnes Homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* Cujus occasione enatæ tot olim Semipelagianos inter, & Augustinum difficillimæ Controversiæ; tot hinc, & inde Interpretationes venditatæ; tot quæsita Suffugia, tentata Diverticula referuntur, ut quod de Christo Domino a Sanctissimo Simeone dictum est, de isto Apostolico Oraculo pronunciari quodammodo posse videatur; *in ruinam, & in resurrectionem multorum fuisse positum.*

Quod Oraculo illo insigniter abusi fuerint Semipelagiani, nullus, opinor, ibit inficias, qui Prosperi, & Hilarii ad Augustinum datas Epistolas, ipsusque Augustini Libros *de Prædest. SS.*, & *de dono Perseverantiæ* vel obiter deflorarit. Eo quippe Testimonio freti vagam quamdam, indiscretam, atque indifferentem in Deo Voluntatem sunt fabulati; qua Justos pariter, & Injustos, Prædestinatos simul ac Reprobos æqua ratione salvari vellet, omni Justorum, ac Prædestinatorum prædilectione femota; ut nonnisi ex humanæ Voluntatis secuturo consensu generalis ea Voluntas efficax, vel inefficax fieret; ac sine specialiori Voluntatis Divinæ Proposito isti præ aliis salvarentur.

Augustinus e regione positus timens, ne si Oraculum istud ad omnes passim Homines, nullo dempto, referret, Semipelagiani vires suas multo magis instaurarent; indeque confidentius ansam arriperent, suam illam indifferentem Voluntatem obtrudendi; Apostoli verba de Voluntate Dei efficaci frequentius exposuit; qua Prædestinatos specialius salvari velit. Quare, ne quis universali illa Assertione, qua omnium Hominum Salutem Deum velle dicit Apostolus, terreretur, varias Interpretationes excogitavit SS. Doctor; quibus eam ad solos Prædestinatos coarctavit.

Prima Expositio est; ut sit distributio accommoda; non quod nemo sit, quem Deus salvari nolit; sed quod nemo salvetur, nisi quem Deus salvari voluerit. Ita Augustinus *Lib. de Prædest. SS. cap.* 8.; ubi eam loquendi rationem Exemplo confirmat: *Sicut ergo*, inquit, *integre loquimur, cum de aliquo litterarum Magistro, qui in Civitate solus est, dicimus: Omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt; sed quia nemo, nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita recte dicimus: omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.*

Alterum Augustini Interpretamentum est; ut fiat distributio, quemadmodum Schola loquitur, pro generibus singulorum; non pro singulis generum; & sit sensus; Deum ex omnibus Hominum Statibus velle aliquos salvos fieri, ex Gentibus, ex Judæis, ex Regibus, & Subditis, ex qualibet demum fortuna, conditione, vel sorte. Ita *in Enchiridion ad Laur. cap.* 103. Qua loquendi ratione dicimus, omne Animal fuisse in Arca Noe, quia scilicet ex qualibet specie fuere aliqua. *Et isto etiam locutionis modo* (inquit Augustinus loco mox laudato) *& Dominus est usus in Evangelio, ubi ait Pharisæis*: decimatis mentam, & rutam, & omne olus. *Neque enim Pharisæi quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant.*

Tertia expositio est; ut sit locutio caussalis: atque ita, Deum velle, omnes Homines salvos fieri, quia facit Justos id velle. *Potest etiam sic intelligi* (ait ille *Lib. de Correp. & Gratia cap.* 15.) *quod omnes Homines Deus vult salvos fieri; quoniam nos facit velle: sicut misit Spiritum Filii sui clamantem, Abba, Pater, idest nos clamare facientem .... Nos ergo clamamus; sed ille clamare dictus est, qui efficit, ut clamemus.*

Vix credas, quantum hæc Augustini Interpretamenta, quibus Divina Voluntas ad Prædestinatorum duntaxat Salutem coarctatur, quorumdam Animos in transversum egerint. Nonnulli, quibus minus cordi, ac venerationi est Augustini nomen, *Expositiones hasce* Augustini (super Locum illum Apostoli) *omnes vel ipso primo aspectu peregrinas, & extortas* appellant, atque calumniantur. Ita Ludovicus Molina in sua *Concord. quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 1. Vasquesius autem eo etiam temeritatis devenit, ut asserere haud ipsum puduerit (1. *part. disp.* 83. *cap.* 2. *n.* 12.) *Augustinum nullo ex illis tribus modis Pauli Locum recte exposuisse.* (en Magistrum Augustino sapientiorem.) Audite Petavium, quo modo de venerabili, ac uno ex quatuor præcipuis Ecclesiæ Doctoribus loquatur: *Tres*, inquit *Tomo* 1. *Lib.* 10. *de Prædest. cap.* 3. *n.* 2., *quatuorve* (modi) *ex Augustino commemorati sunt a nobis, cum illius Opinionem exponeremus* (cap. 5. Ejusdem Libri) *qui mihi quidem ad eludendum magis excogitati, quam certi, ac solidi videri solent.* Ad eludendum ergo SS. Doctor Pauli Textus interpretabatur? Siccine de tanto Magistro loqui impune liceat? Vah intolerabilem petulantiam! Alios plures ex Molinianæ Schola missos facio, qui id ipsum effutire non erubescunt, ne piæ aures magis magisque exhorrescant. At scire illos juvat, Augustini Doctrinam de Gratia & libero arbitrio a Romanis Pontificibus Cælestino, Gelasio, Hormisda, Felice IV. uti Ecclesiæ Catholicæ Sententiam fuisse commendatam; ut nemini jam in oppositum mussitare liceat, nisi qui Ecclesiæ Catholicæ Professionem labefactare voluerit. Scire illos juvat, eas interpretationes, quas confidentius cavillantur, ne dum ab Augustino datas esse, quo solo titulo nulli calumniæ paterent; sed & ab aliis Ecclesiæ Patribus summa veneratione susceptas; nimirum a S. Gregorio Magno *Lib.* 5. *in* 1. *Regum, cap.* 4. *n.* 63.: a S. Fulgentio *Lib. de Incarn. & Grat. cap.* 31.: a S. Prospero *in Epistola ad Ruffinum* (in Biblioth. PP. Tom. 5. pag. 84.): Ab Africanis Episcopis in Sardinia exsulibus *Epist. Synodica cap.* 14. quæ extat inter Opera S. Augustini Tom. 10. in secunda parte Appendicis pag. 156.: a S. Remigio Remensi *in Explanatione in cap.* 2. *Epist.* 1. *ad Timoth.* (in Biblioth. PP. Tom. 5. part. 3. pag. 937.) Ac demum, pluribus aliis omissis, a D. Thoma 1. *part. quæst.* 19. *art.* 6. *ad* 1.; & *in Comment. in Pauli Epist. ad eum Apost. Locum*, cujus in expositione versamur; ubi tres illas Augustini Interpretationes admittit; nec eas ad eludendum excogitatas asserit, ut impudenter Petavius. Nihil est ergo, quod in iis expositionibus cavillentur Augustini Osores, nisi forte cæteris quoque Ecclesiæ Patribus bellum audaci supercilio indicere velint, imo & ipsis Summis Ecclesiæ Hierarchis.

Abeunt alii in extremum alterum; utque Augustinum prona, uti par est, veneratione prosequantur, iis interpretamentis ita firmiter hærent, ut aliud nullum afferri posse putent. Eoque pacto (eliminata quavis Dei de Salute omnium Hominum Voluntate) unam in eo efficacem Voluntatem agnoscunt, qua solos Prædestinatos salvari velit; antecedente Dei Voluntate, quæ in omnium Hominum Salutem feratur, explosa, unam consequentem admittendam existimant, ne in Semipelagianum Errorem ab Augustino toties exagitatum prolabantur. Ita plane Jansenius, quem hic præsertim exagitamus.

At id perperam. Ea est etenim Scripturæ sacræ Majestas, & Altitudo; ut una eademque littera varios sensus pati possit, quorum neuter cum altero pugnet. De Voluntate Dei efficaci, cum Apostoli Locum exposuerit Augustinus, atque idcirco verba ejus ad solos Prædestinatos coarctaverit; bene est: ejus nos Interpretationem deosculamur; nihil tamen id obest, quominus de Voluntate Dei inefficaci intelligi etiam queat, eoque pacto ad universos prorsus Homines referri commode possit; modo tamen in hujus inefficacis, & antecedentis Voluntatis expositione a Semipelagianorum Errore recedamus. Hoc ipsum docet nos Augustinus ipse; qui tametsi allatæ Interpretationi tenacius hæserit, dum in Semipelagianos calamum acuit, ne ullam eis Erroris ansam relinqueret; ab ista tamen da generali, & antecedente Dei Voluntate ad omnes prorsus Homines effusa, Interpretatione non abhorruit. Loca indigitabimus Exercitatione sequenti, eaque numero plura. Docet & id D. Prosper, qui utramque Interpretationem usurpavit in *Responsione ad* 7. *Objectionem Vicentianam* (inter Opera S. August. Tom. 10. in 3. part. Append. pag. 210.) Docet Doctor Angelicus, qui utramque pari veneratione excipit loco laudato 1. *Partis*, & in 1. *Sent. dist.* 46. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 1.; hancque secundam de Voluntate antecedente, quæ præsentis est Instituti S. Joan. Damasceni Auctoritate confirmat in corp. ejusdem articuli. Evincit id maxime contextus Apostoli, qui de Voluntate Dei ad omnes prorsus Homines effusa videtur exponendus. Fideles enim hortatur Apostolus, ut pro omnibus orent; hujusque rationem istam assignat: *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo; qui omnes Homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Futilis porro ea ratio videretur, & Apostolico Ingenio minus digna, si de Voluntate Salutis duntaxat aliquorum esset intelligenda, ac non prorsus omnium; quemadmodum pro omnibus prorsus Hominibus est orandum. Sensus enim esset: *Orate pro universis Hominibus, quia Deus aliquos tantum vult salvos fieri.* Rursus probat idem Apostolus, Deum Salutem omnium velle, quia *unus Deus & mediator Dei, & Hominum Homo Christus Jesus.* Horum igitur omnium Salutem vult, quorum est Deus, & mediator. Quis porro Christum Prædestinatorum duntaxat Deum, ac mediatorem appellaverit? Perspicuum igitur est, Apostolicum illud Oraculum de Voluntate Dei in omnes Homines effusa intelligi commode posse.

Neque tamen verendum, ne idcirco ad Semipelagianismum declinemus, modo, eliminatis Molinianorum spuriis Interpretamentis, Augustinianis, ac Thomisticis Expositionibus hæreamus. Ii quippe generalem illam Voluntatem indiscretam prorsus in omnes, atque indifferentem fabulabantur; ut ex humanæ Voluntatis secuturo consensu efficax, vel inefficax fieret. Augustiniani, atque Thomistæ longe aliter sentiunt. Singularem insuper erga Electos prædilectionem profitentur: generalis hujusce Voluntatis sortem ex unico Hominum assensu, vel dissensu minime suspendunt; verum etiam ex Dei nutu, qui pensatis suæ Providentiæ Legibus æterno Decreto Justitiæ suæ aliquos casuros permittere decernit. Deum enim Omnipotentem non fore, ajunt cum D. Augustino *in Enchirid. cap.* 95., *si aliqua voluit, & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, Voluntas Hominis impedivit.*

Equidem generalem illam Salutis omnium Voluntatem conditionalem nonnulli Thomistæ nostrates appellant: at procul est illa conditio ab ea, quam Semipelagiani garriebant. Hi siquidem Deum conditionate omnes Homines salvari velle contendebant, si nempe Homines ipsi vellent; nec Deum in illis operari putabant, ut vellent; quod Thomistæ summo Scholæ consensu rejiciunt, atque execrantur. Conditionatam Thomistæ illi (quod observare operæ pretium est) Voluntatem appellant, non conditione ex Hominis nutu pendula, sed ex consequentis Voluntatis Divinæ superno Consilio. Vult enim omnes Homines salvos fieri ingenita sibi bonitate, nisi supremi Provisoris altissima Sapientia ob Justitiæ suæ, Consiliorumque suorum abditissimas rationes aliter subinde decernat.

Hinc elisa manet trita illa Difficultas, quæ statim Animum pulsat, & Jansenium potissimum movit; qui fieri possit, ut salvari omnes Homines Deus velit, cum re ipsa perpauci salventur: *Omnia enim* (ait Regius Vates *Psal.* 134.) *quæcumque voluit Dominus fecit in Cælo, & in Terra, in Mari, & omnibus Abyssis.* Verum id quidem de absoluta, & consequenti Voluntate; nequaquam autem de conditionata, & antecedente.

Manet & altera elisa Cavillatio; qua ratione fieri possit, ut contrariæ, ac repugnantes in Deo Voluntates existant; una, qua salvari velit Omnes; altera, qua velit Aliquos tantum Salutem consequi. Nulla quippe hic repugnantia: quia de Objecto variis conditionibus circumvestito varia velle dicitur; uti plane nil pugnat, Mercatorem imminenti naufragio jactatum Merces projicere velle, ac re ipsa projicere; quas tamen servare summopere vellet, si absque sui periculo posset: aut Principem Subditum suum incolumem velle, quem nihilosecius ob scelus admissum capite damnat.

Unum forsan erit, quod negotium facessat aliquod: quo pacto Voluntas illa Salutis Omnium sincera vocari, & esse possit. Si enim sincere vult Deus, cur non re ipsa omnes Homines salvat, cum id Gratia sua utique possit? Neque enim reponere juvat, velle illum, sed Homines nolle: quandoquidem Gratia sua præstare potest, ut velint; cum habeat humanorum Cordium, quando voluerit, & quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam Potestatem. Et quidem Mercator ille imminente naufragio jactatus sinceram servandarum Mercium Voluntatem habere dicitur, tametsi metu periculi demergat; quia ob periculi præsentiam servare re ipsa non potest: si enim servare posset, nec tamen re ipsa servaret, nulla in eo sincera servandi Voluntas supponeretur. Ita multi argutari solent.

Verum nec ista movere aliquem possunt. Idcirco enim non omnes Homines salvat, tametsi antecedente Voluntate salvari Omnes velit, & salvare re ipsa possit; quia, spectatis conditionibus omnibus, & universalis Providentiæ Legibus, aliter Voluntate consequente decernit: ut videlicet aliqui ad decorem Justitiæ, ad manifestationem Potentiæ, ad majorem sui erga Prædestinatos Amoris ostensionem, necnon ob alios incomprehensibiles Sapientiæ suæ rationes ab eo ultimo fine excidant, ad quem Singulos pervenire misericorditer Voluntate sua sincerissima cupiebat. Quo ex Capite minus quadrat objectum Mercatoris Exemplum; qui cum Persona privata sit, uni peculiari lucro intenta, Mercium conservationem minus velle censeretur, nisi quidquid potest omni conatu perageret: cum contra Deus, qui universalis Provisor est, universali bono juxta æternæ Providentiæ suæ Leges necessario prospiciat.

Quare cum sincera Voluntate Salutis omnium Hominum per sese, & absolute spectatæ permittere reipsa potest, ut Aliqui in peccatum incidant ob latentes, ac nobis prorsus impervias æterni sui Consilii rationes, in quas intimius, curiosiusque introspicere velle, summæ temeritatis est, atque imprudentiæ; ajente Apostolo *ad Rom.* 11. : *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis Consiliarius ejus fuit?*

Proxima Tractatione Scripturarum, ac Patrum Oracula de Christi morte pro Reprobis tolerata, adjuvante Deo, expendemus.

PRÆLECTIO X.

Adversus quintam Jansenii Propositionem, Christum Dominum non pro solis Prædestinatis, sed pro omnibus omnino Hominibus mortem oppetiisse; multosque ex iis perire, pro quibus Sanguinem ipse fudit Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & ipsiusmet Augustini, quo duce adeo fidit Jansenius, Auctoritate; nec non Rationibus Theologicis luculenter ostenditur.

JACTO universalis Christi Domini Redemptionis Fundamento, seu (ut explicatius loquar) generali Dei Voluntate de omnium Hominum æterna Salute multis Argumentis asserta, Christi Domini Sanguinem pro universis Hominibus fusum demonstrandum aggredimur; ut Catholica Veritas adversus quintam Jansenii Propositionem definita omni ex latere muniatur.

Sacrarum Scripturarum advocationem primo loco ponimus, ex quibus duo colligere pronum est, unde Jansenianus Error juguletur. Primum; Christum pro omnibus Hominibus, nullo dempto, mortem oppetiisse: alterum; plures ex iis perire, pro quibus mortuus Christus dicitur: ut plane hinc colligatis, Christum non pro solis Prædestinatis, ut falso Jansenius autumat, Sanguinem fudisse suum, sed pro omnibus omnino indiscriminatim Hominibus.

Prodeunt prima fronte ea Apostoli Oracula, quibus a Christo Domino mors pro omnibus oppetita dicitur: *ad Rom. cap.* 8. : *Proprio Filio suo non pepercit; sed pro omnibus tradidit illum:* quod & latius protendere videtur dilectus Discipulus in sua *Epist.* 1. *cap.* 2. : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.* Sed & luculentius 2. *ad Corin. cap.* 5. Adami peccatum in omnes Homines transfusum idcirco probat Apostolus, quia Christus pro omnibus mortuus est: *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*: ut nempe in eos omnes Christi mortis beneficium protendatur, in quos Adæ peccatum transfusum est.

Reponit festive Jansenius, Christum ab Apostolo pro universis prorsus Hominibus mortuum asseri, sufficientia Pretii, non sufficientia Voluntatis; hoc est, sufficere Christi Sanguinem universis Hominibus redimendis, atque salvandis; tametsi non ea intentione, ac Voluntate effusus esset, ut eo Universi redimerentur, & salvarentur.

At inquio, si ita sit; si Christi mortem pro universis Hominibus toleratam eo duntaxat sensu dixit Apostolus, quod universis Hominibus redimendis per sese sufficiat, quorsum, amabo, nuspiam in Scripturis expressum legimus, Christum pro universis Dæmonibus esse mortuum? Nam & nemini dubium esse potest, quin & universis Dæmonibus redimendis per sese sufficeret. Non id ergo de sufficientia Pretii dictum est. Rursus, idem Apostolus, ubi Christum pro universis Hominibus mortuum scripsit, specialiori tamen modo pro Fidelibus mortuum innuit: *Qui est Salvator*, inquit, *omnium hominum, maximè Fidelium*; 1. *ad Timoth. cap.* 4. Nisi porro de sufficientia Voluntatis, & intentione redimendi sermonem haberet, sed de una Pretii sufficientia, non esset cur quidpiam speciale pro Fidelibus adderet, cum æqua in omnes intelligatur ad Salutem Pretii sufficientia. Sed & quod habet 1. *ad Tim.* 2. difficultatem omnem eliquat: *Dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*: qua sane loquendi ratione Voluntas, atque intentio redimendi satis aperte significantur. At quid tandem? Nebulas depellit omnes, Jansenique dicacitatem frangit omnino, quod scribit Divinus Apostolus *ad Rom.* 14.; ubi Christum idcirco omnium Hominum Dominum, seu Caput esse probat, quia pro omnibus mortuus est: *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit; ut & mortuorum, & vivorum dominetur*. Si ergo de sufficientia mortis toleratæ, non de sufficientia Voluntatis, & de animo redimendi sermonem habet, aut nihil hoc Argumento conficit, aut certe Christum morte sua Caput etiam Dæmonum evasisse probat; nam & pro illis, si solam Pretii sufficientiam spectaremus, mortuus dici posset. Nihil ergo ea sua Cavillatione Jansenius conficit, nisi quod se sinistrum prorsus, ac valde præjudicatum Scripturarum Interpretem prodit.

Accedunt secundo in ordine Loca illa, quibus multos ex iis perire liquet, pro quibus Christus mortuus dicitur. Rem præ cæteris conficit, quod habet Apostolus ipse *ad Rom.* 14., ubi monens, ut potissimum caveamus, ne ciborum discretio Fratribus nostris offendiculo sit, ne forte Exemplo nostro scandalum patiantur, *Noli* inquit, *cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*: eadem pene habet 1. *ad Cor.* 8.; ubi hoc idem prosequitur Argumentum: *Et peribit infirmus*, inquit, *in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est*. Fieri itaque potest, ut ille pereat, pro quo Christus est mortuus. Non itaque pro solis Prædestinatis Sanguinem fudit. Neque vero assui hoc loco potest trita Jansenii Cavillatio, ut Christus pro Infirmo pereunte dicatur mortuus, Pretii quidem sufficientia, sed non animo, & intentione redimendi. Quem enim sensum haberet ea D. Pauli animadversio: *Peribit in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est; non tamen animo redimendi, & æternam Salutem conferendi?* Parum dubio procul hæc objurgatio sublime D. Pauli Ingenium deceret; absurdumque plane sensum efficeret. Si enim Infirmi illius salvandi, ac redimendi animum non habuit Christus, nihil mirari licet, quod pereat, scandalo illi a nobis illato: imo nec Paulo tanta fuisset de illo cura, ne ob scandalum alienum periret, quem redimere Christus vere noluisset.

Verum si quid eo in Capite sacris in Litteris subobscurum videri posset, veritatem meridiana in luce posuit Augustinus, cujus advocationem præsertim implorat Jansenius, ut eo uno Magistro non sine jactantia glorietur. Quatuor in Classes SS. Doctoris Oracula distribui possunt. Prima in acie locantur illa, quæ Christum universim pro omnibus Hominibus mortuum adstruunt: sic in *Enarratione in Psal.* 95. ea Prophetæ verba perpendens, *Judicabit Orbem Terræ in æquitate*; judiciariæ Christi Potestatis hanc rationem assignat: *Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto Pretium dedit*. Ubi Christi Sanguinem non modo sufficiens totius Mundi Pretium appellat, sed Pretium datum, ac persolutum; ut Redimentis Voluntatem agnoscerem us in Omnes effusam.

Prostant secundo in ordine Loca illa, queis mortem pro iis toleratam declarat, qui nihilo secius damnabuntur: *Sic Enarratione in Psal.* 68. *Serm.* 2. *num.* 11. pro Juda proditore Sanguinem fusum agnoscit: *Projecit Pretium argenti*, inquit, *quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit Pretium, quo ipse a Domino redemptus erat*. Qui ergo solos Prædestinatos a Christo redemptos effutiunt, Judam, si Superis placet, inter Prædestinatos collocare necessum habent. Hinc *de Symbolo ad Catechumenos* (olim *Lib.* 2. *cap.* 8.; modo *Serm.* 2. inter dubios *cap.* 8.) quisquis sit illius Auctor, qui unus ex ejus Discipulis fuisse creditur, Christum in extremo Judicio perfidos Judæos ita alloquentem inducit: *Ecce hominem, quem crucifixistis: ecce Deum & hominem, in quem credere noluistis: videtis vulnera, quæ inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamem intrare voluistis*. Idipsum habet *Serm.* 67. (in Append. ad Oper. S. August. Tom. 5.) quem modo tribuunt Cæsario Arelatensi; revera autem Jansenii temporibus uti genuinus Augustini fœtus habebatur; unde ad Jansenium exagitandum, qui ex S. Doctore Errorem suum delibasse perperam gloriatur, satis abunde sufficere, perspicuum est. Ibidem porro circa medium ita legimus in extremo Judicio Reprobos Dominum alloquentem: *Suscepi dolores tuos, ut gloriam tibi darem: suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in Cœlo. Cur quod pro te pertuli, perdidisti?* Unde vero tot illæ tam sinceræ, tam dolentes objurgationes Reprobis fieri possent; si quam pertulit mortem, nulla, ut illis prodesset, intentione toleravit?

Tertio loco stant ea Loca, quæ Christum Reproborum etiam Salutem moriendo sitiisse ajunt. Quid hæc sibi vellent, si nulla Christi Voluntas erat, nullus animus, ut sua illis mors propitia foret ad Salutem æternam? Sic in *Enarratione in Ps.* 68.: *Serm.* 1. *num.* 14.: *De Cruce cum diceret*, Sitio, *Fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat*: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: ubi Crucifigentium Salutem sitiisse; hoc est, optasse, perspicuum est.

Quarto in ordine recensenda illa veniunt, quibus Christum in Cruce pendulum pro Reprobis orasse significat SS. Doctor. Ut quid enim orasset, si nulla illi Salutis illorum Voluntas inerat? Ludicra quippe fuisset Oratio: *Quando Christus*, inquit Augustinus *Serm.* 382. *de S. Stephano* (quem etiam inter dubios reponunt Eruditi, sed Jansenii ætate dubius haud erat, cujus idcirco Auctoritatem venerari ille certe debuerat) *quando*, inquit, *Christus in Cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; Sed multos ex illis futuros amicos prævidebat; & ideo omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato*, Crucifige: *ille clamabat*, Pater ignosce. Quid ergo dicendum? An forte reponet Jansenius, orasse Christum, ut hæc illis culpa ignosceretur, non ut ii Salutem adipiscerentur? Esset id prorsus absurdum. Quæ enim illi indulgendæ culpæ Voluntas inesse poterat, si nulla erat elargiendæ Gratiæ sincera propensio? Cum nemo prudens Media sincera velit, nisi Finem sincero animo prosequatur.

Sed quid ego hæc moror? Non tam Disputationibus refellendus venit Error ille Jansenianus, quam ipsis piæ Naturæ sensibus confutandus. Vacat enim, & exinanita jacet omnis Religio, Pietas, Affectus in Deum, nisi Christus pro universis Hominibus mortuus existimetur, animo quidem, ac Voluntate redimendi. Vacat imprimis Fidei firmitas. Ex Ecclesiæ siquidem Institutione unusquisque Fidelis tenetur credere, Christum Dominum esse Redemptorem suum, non secus ac Creatorem, & Dominum. Sic enim inter Precum Officia supplices profitemur: *Fidelis Deus omnium Conditor, & Redemptor*: hoc in sacri Symboli Nicæni recitatione protestamur: *Qui propter nos Homines, & propter nostram Salutem descendit de Cælis, & incarnatus est*. Quot autem, Deus bone, ex Fidelibus reprobati? Nisi ergo Christum etiam Reproborum Redemptor credamus, nutat Fides; nemoque Privatus ita deprecari, ac supplicare certo poterit; cum nemo certam suæ Prædestinationis notitiam habere possit. Atque hic maxime notanda venit Jansenii aberratio, qui cum videat non Omnes Redemptionis fructum accipere, non Omnes a Christo redemptos obtendit. Sunt etenim duo hæc longe distincta. Liquet id ex Concilii Tridentini Definitione *Sess.* 6. *cap.* 3. : *Est ille pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii duntaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur*. Liquet ex Concilii Carisiaci *Capitulo* 4. : *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus Homo est, fuit, vel erit, cujus Natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes Passionis ejus mysterio redimantur*. Hæc itaque duo caute secernenda veniunt; Redemptio, ut est solutio Pretii ex sincera Voluntate, & intenptione solventis; Redemptio, ut est exercita ipsa liberatio Captivi, integra jam libertate gaudentis. Prior omnium Hominum est; altera Prædestinatorum duntaxat, atque Justorum.

Evanescit quoque Spes nostra, nisi Christus pro Omnibus mortuus credatur. Tota quippe, aut certe maxima Spei nostræ, ac præ Fiduciæ certitudo nobis inest ex effuso pro nobis Sanguine Christi: hoc maxime nititur Fundamento: hoc si tollas, Spes integra collabatur necesse est. Hinc pia illa Augustini suspirantis Eloquia *in Psal.* 148. *n.* 8. *Promissionis Dei tales arras accepimus: tenemus mortem Christi: tenemus Sanguinem Christi... Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, non ero* (beatus). *Qui promisit, Deus est: & venit, ut promitteret; apparuit Hominibus; venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam*. Et *Serm. de temp. barbarico* (qui licet inter dubios recenseatur in nova Editione, & cuidam ex Augustini Discipulis tribuatur; olim tamen dubius haud erat, ac proinde a Jansenio contemni nequaquam poterat) eo, inquam, Sermone *cap.* 7. hæc leguntur: *Et nunc veniant omnes quicumque amant Paradisum... venite omnes, intrate omnes: est qua intrare* (possitis); *patet latus. Ostendit enim ille Latro, quo debeant omnes intrare; neminem suo exemplo docuit desperare*: & post pauca concludit *Cap.* 8. : *non enim inaniter clamabat ille pendens in Cruce*: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (Tom. 6. pag. 613.)

Evanescit demum & Charitas, aut certe languescit admodum, nisi Christum pro Universis mortuum fateamur. Ex eo fonte Fidelium in Deum amorem derivat Apostolus 2. *ad Cor.* 5. : *Charitas enim Christi*, inquit, *urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus Christus: ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Derivavit & ex illo fonte piissimus Augustinus; potissimumque nostri in Deum amoris incentivum ex effuso Christi Sanguine repetendum monuit *Libr. de Sancta Virginitate cap.* 54. : *Toto corde amate speciosum forma præ filiis Hominum .... inspicite pulchritudinem amatoris vestri .... inspicite, quam pulchrum sit: internis hominibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis,*

tis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate; hæc in statera charitatis appendite. Si enim Deum diligimus, ut ei vices maxime rependamus; quia, videlicet ipse nos diligit; quanto plus diligendus est Deus, dum alto rependimus animo, eo usque, ut inquit Apostolus, Mundum dilexisse, *ut Filium nobis suum unigenitum daret?* Hoc enim devotionem nostram & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.

Quare sine ulla cunctatione pronunciaverim, e Jansenianis Propositionibus ab Ecclesia damnatis nullam esse, quæ magis a communi Pietatis sensu abhorreat, & majorem in ipsum invidiam concitaverit, quam hæc quinta a nobis hactenus confutata; qua Christum pro omnibus mortuum diffitetur. Quid ille ad tam horrendum Paradoxum austruendum in medium attulerit, in sequenti Exercitatione, si Deus bene verterit, ponderabimus, & pro Officio nostro exsufflabimus.

PRÆLECTIO XI.

Jansenii Momenta, quibus quintam damnatam Propositionem suam tueri nititur, ad examen vocantur, ac refelluntur: tum quid de Jansenii Persona sentiendum sit, declaratur.

JAnsenii Momenta, quibus Christi Sanguinem pro universis Hominibus effusum diffitetur, in hac Exercitatione confutaturi potissima subeundi oneris parte levati sumus. Quæcumque enim adversus Voluntatem antecedentem Salutis omnium Hominum studiosissime collegit, in antehabitis Tractationibus cumulatissime confutavimus, dum specialem ea de re Exercitationem haberemus. Catholicorum Theologorum Hypothesim a Semipelagiana toto Cælo diversam ostendimus; & si quid de efficacia, vel inefficacia Divinæ Voluntatis objectari Scholæ Thomisticæ potest, diluimus, dissipavimus. Ea ergo duntaxat ad examen vocamus Jansenii Momenta, quæ ipsam Christi Sanguinis effusionem pro universis Hominibus oblatam propius attingunt; ne ullas Errori latebras dimittamus, quibus tueri se ab Ecclesiæ fulminibus possit.

Primum, illudque a Jansenio ad nauseam usque jactitatum Scripturarum Oraculum legitur *Matth.* 26.; ubi Christus bibendum Sanguinem Discipulis in Cœna tradens inquit: *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si pro Multis, subjungit Jansenius, non itaque pro Omnibus est effusus.

Rancidum profecto istud est Argumentum, & in Pelagianorum Officina fabricatum: ita quippe & illi adversus Originale peccatum argutabantur: cum enim ad *Rom.* 5. legerent: *Per inobedientiam unius, peccatores constituti sunt multi*; illico colligebant; non ergo peccatores constituti sunt Omnes; ut Ecclesia Catholica contendebat. Sed quid ad hæc Augustinus totius Ecclesiæ Caussam agens? Alia ejusdem Apostoli Testimonia congerebat, queis omnes Homines in Adam peccasse profitetur: atque ita concludebat, Apostolum, nisi sibimet aperte contrarius esset, *Omnes* reipsa vocasse *Multos*, quia re ipsa omnes Homines multi sunt: Multos dictos ab illo, non comparate, sed absolute, ut Omnes eo vocabulo designati intelligantur. Quid ni hoc ipsum nos impræsentiarum Jansenii Argutiæ reponamus? Cum enim tam multa in Scripturis Momenta legantur, quibus Christus pro Omnibus mortuus dicitur, quæ nos in antecessum cumulate protulimus, certe, nisi Scripturam sibi in objecto Loco contrariam effutire velimus, necesse profecto est, ut *Multos*, pro quibus eo loci effusum Christi Sanguinem dicit, absolute, non comparate sumpserit; ut idem, ac *Omnes* significet; quia re ipsa illi *Omnes*, pro quibus Christus mortus est, *Multi* sunt.

Et vero, ut noverit Jansenius, quantum hoc deludatur Argumento, id observare sat est, Judam inter illos ipsos Apostolos Mensæ Dominicæ accubuisse, unaque cum illis Christi Calicem accepisse, quibus Christus porrigendo dixit (ut legitur in *Evang. Lucæ cap.* 12.) *Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Pro Juda ergo Sanguinem effundendum Christus dixit Oraculo illo: nisi ergo Judam Prædestinatis Iansenius adnumeret, colligere nullo modo poterit ex iis Christi Domini verbis, Sanguinem ejus pro solis Prædestinatis effusum esse.

Quanquam tamen, si *Multos* hoc Loco comparate, non absolute dictos Iansenius pertinaciter velit, Distinctionem passim in Scholis volitantem in ejus faciem illidemus: pro *Multis* effusum Sanguinem dici efficaaiter; tametsi pro *Omnibus* effusus fuerit sufficienter. Sic enim in hunc Apostoli Locum commentatur Doctor Angelicus. Eoque pervulgato Responso solvi longe plurima possunt aut Scripturarum, aut Patrum Oracula, quibus dicitur Christus pro Impiis non esse mortuus; Infideles, ac Peccatores salvare nolle. Hæc enim mortis efficaciam attinent, non sufficientiam; nihilque significant aliud, quam Christum, attento peccato, Peccatorumque obstinatione, illos re ipsa salvare nolle, quos ingenita bonitate, nulla facta circumstantiarum quarumdam suppositione, salvare sinceriissime vult, quemadmodum & ad Dei imaginem conditi sunt.

Pergit, quo pede cæpit Cornelius Jansenius, alterumque corrodit Scripturæ Locum *Joan.* 17., ubi Christus pro Reprobis orare nolle, diserte testatur: *Non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*, Si porro pro Reprobis non oravit, quid clarius, quam nolle illum salvare Reprobos?

At numquid Christus pro perfidis Judæis, & Crucifixoribus suis non oravit in Cruce pendulus? *Pater, ignosce illis.* Nisi ergo Christum sibi repugnantem per summam impietatem affutiamus, aliquo sensu pro Reprobis orasse, aliquo sensu non orasse dicendum erit. Duas itaque Orationes, ut Loca illa in speciem repugnantia conciliaret, distinxit Doctor Angelicus: unam, quæ generalis Salutis Voluntatis interpres sit: alteram, quæ efficacis, & absolutæ Voluntatis partus asseratur. Priori pro Universis oravit in Cruce pendulus; Voluntate scilicet in Omnes effusa, pro quibus mortem obibat: altera pro Prædestinatis, & ovibus sibi traditis; nimirum Oratione illa præclara, quam morti proximus fudit: pro illis scilicet ovibus, quas Pater ei dederat, ex quibus nequidem unam amisit. Ac de ista venit intelligendum, quod habet Doctor Angelicus 3. *part. quæst.* 21. *art.* 4. *ad* 2. *Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum: sed solum pro his, qui erant prædestinati, ut per ipsum Vitam consequerentur æternam:* Oratione videlicet, quæ efficacis Salutis Voluntatis esset interpres.

A Scripturis pergit ad Augustinum Jansenius, cujus in Auctoritate potissimum præsidium ponit. Hujus non pauca Testimonia congerit, quæ ad hæc duo facile revocaveris: Primo; quod interdum doceat S. Doctor, *Neminem perire ex his, pro quibus Christus mortuus est*; quod habet maxime *Epist.* 169. *ad Evodium*; & *Serm.* 274. qui est *primus in Natali S. Vincentii.* Secundo; quod nonnunquam affirmet, *Christum pro solis Electis semetipsum Pretium obtulisse.*

Verum nisi hæc benignis Interpretamentis emolliamus, contrarium sibi experiemur Augustinum, ut ex aliorum Testimoniorum, quæ nos in antecessum proferebamus, collatione compertum est. Qui etenim Neminem perire ait ex his, pro quibus mortuus est Christus; aliis tamen in Locis pro iis toleratam mortem innuit, qui cum Juda proditore damnantur: quique pro solis Electis Sanguinis Pretium oblatum innuit, pro Crucifixoribus tamen eumdem illum fusum alibi probat. Nisi ergo justo Interpretamento rem componamus, secum ipse pugnabit Augustinus. Itaque, quod ait SS. Doctor, Neminem perire ex his, pro quibus mortuus est Christus, ita accipiendum venit, ut Nemo ex iis pereat, pro quibus efficaci Salutis Voluntate mortem oppetiit, juxta illud *Joan.* 10.: *Et non rapiet eas* (oves) *quisquam de manu mea.* Quod autem addit; pro solis Electis Sanguinis Pretium oblatum esse, de Pretio intelligendum est, quo Captivi re ipsa liberantur, ac redimuntur ex absoluto, æternoque Prædestinationis Decreto. Has porro Interpretationes non ex cerebro natas, sed ex ipsis Augustinianæ Doctrinæ visceribus petitas esse fatebitur quisquis Loca a nobis superioribus recitationibus laudata paulo intimius observarit.

Unum modo huic nostræ, seu verius Ecclesiæ Sententiæ refragari videtur, in quo præsertim Calvinus, & Jansenius offendunt. Augustini, ejusque Discipulorum Sententia est, Deum non omnibus Gratias elargirl, quibus Salutem consequi possint; multisque ea Auxilia subtrahere, quæ vulgari Scholarum verbo sufficientia vocitantur; queis scilicet non Sales ipsa, sed Salutis obtinendæ potestas conferri dicitur. Iis etenim destituti profecto sunt Pueri sine Baptismo sublati; de quibus notum est illud Augustini *Lib. de dono Perseverantiæ cap.* 12.; *Plerumque festinantibus Parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus Parvulo detur, Deo tamen nolente non datur.* Iisdem destituti dicuntur Infideles, quos negativos Schola vocitat; qui nempe nihil unquam de Evangelin audivere; in Silvis enutriti, ac media, ut ita dicam, Animæ parte utentes. Iisdem privati censentur Peccatores indurati, & obcæcati; quorum induratio, & obcæcatio consummata est. Itaque concludit Jansenius: si tot illos Gratiis suis destituit Deus; quo pacto Salutem illorum velle dicitur? Qua ratione pro iis Sanguinem effudisse Christus asseritur? Id enim tam contra Rationem videtur esse, ac si quis fingeret, velle Medicum, ac sincera quidem Voluntate, illius Ægroti sanitatem, cui pharmacum suum largiri nollet: cum tam, imo magis pugnet, sine Gratia salvari Hominem, quam sine pharmaco sanitatem Ægroto restitui.

Non hæc omnia conciliamus, modo Mentem erigere, nec Naturæ Humanæ Sensibus secretiora æternæ Prædestinationis Arcana metiri velimus. Auxiliorum Divinorum præparationem ab actuali eorumdem collatione secernimus: utque Deus Salutem Omnium velle dici possit, id sufficere pronunciamus, ut omnibus Auxilia paraverit, Sacramenta (Gratiarum pixides) pro universis Hominibus instituerit, Evangelium prædicandum Omnibus jusserit: hæc enim ex generali illa Salutis omnium Voluntate proficisci, perspicuum est; quam tamen nec Omnibus Auxilia re ipsa conferantur, nec Sacramenta Omnibus ministrentur, nec Evangelium Omnibus prædicetur. Consonat id Concilii Tridentini Decreto *De Justificatione sess.* 6. *cap.* 3.: *Et ille* (Christus) *pro Omnibus mortuus est; non Omnes tamen mortis ejus Beneficium recipiunt.* Quærendum duntaxat est, cur qui Auxilia Omnibus sincero animo præparavit, non tamen Omnibus conferat: Vix intelligi potest, Medicum ex sincera ægroti sanandi Voluntate pharmacum præparasse, quod tamen eidem illi conferre nollet. Sed & hæc quoque diluimus. Idcirco enim Auxilia Omnibus præparata non Omnibus conferuntur, quia, ne re ipsa conferantur, novæ secreti Consilii rationes intercedunt, novæ circumstantiæ, quas Deus consequenti Voluntate perpendit. Quænam illæ sint, inquires forte? Tibi reponet Augustinus *Lib.* 11. *de Genes. ad lit. cap.* 10.; ubi sibi objicit: *Sed posset, inquiunt, etiam ipsorum Voluntatem in bonum convertere, quoniam Omnipotens est.* Audite responsum: *Posset plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit, Cur noluerit, penes ipsum est. Et Serm.* 165. *de Verbis Apost. cap.* 5. *Quare autem illum, & non illum: multum est ad me, abyssus est, profundum Crucis est; admirationi exclamare possum, disputatione demonstrare non possum.* Nempe quæ secreti sui Consilii sunt, Homuncionibus scire non licet. Si tamen generales rationes scire quis importunius velit, has illi assignabunt Theologi cum Angelico Præceptore. Idcirco enim, quas Omnibus præparavit, Gratias non Omnibus elargitur: primo; quia Nullis eas debet; si enim deberentur, jam Gratiæ non essent, sed effectus Justitiæ: secundo; quia Divinæ Justitiæ distributivæ dandus est locus; quandoquidem si Omnibus conferentur, prudentis Distributionis œconomia minime servaretur: tertio; ut Justitiæ vindicativæ ratio habeatur; si enim puniretur Nullus, nullum etiam foret Divini illius Attributi exercitium: quarto; quia si Gratia Nemini denegaretur, minori apud Homines pretio esset: quinto; quia Supremi Provisoris est sinere, ut Aliqui a fine deflectant: ultimo; quia hac ratione major Dei in Electos Benevolentia demonstratur; quam etiam insinuat Apostolus *ad Rom. cap.* 9.: *Ut ostenderet Divitias gloriæ suæ in vasa Misericordiæ, quæ præparavit in Gloriam.* Legendus est D. Thomas *Quæst.* 23. *primæ Partis Summæ suæ art.* 3. 4. & 5.

Nec nos multum urget Medici Exemplum superius allatum. Idcirco enim Ægrotantis salutem is minus sincere velle diceretur, si paratum pharmacum minime largiretur, quia illo semel parato, nulla prudens intercedere ratio potest, cur illud reapse non conferat. At si forte nova aliqua ratio occurreret, ut si E. G., postquam pharmacum præparavit, ex Judicis Sententia certæ subeundæ mortis damnaretus Ægrotus, tunc utrumque stare utique posset; sincera videlicet sanandi Ægroti Voluntas, & præparati pharmaci denegatio.

Erunt, qui reponere nitantur, altiora ista esse, ac vix humanæ Mentis captui accommodari posse; omniaque stcilius, expeditius, ac plausibilius in Moliniano Systemate explicari; quo nimirum dicitur Deus ex generali illa salvandi omnes Homines Voluntate sufficientissimas Omnibus & Singulis Gratias larga manu elargiri, ut, iis semel acceptis, in cujuslibet arbitrio Salus, vel Damnatio cujuscunque reposita maneat.

Hæc nos omnia lubentissime confitemur. Faciliora ea esse, & humano captui accommodatiora, non abnuimus. Verum ob idipsum contendimus, Systema illud Molinæ a D. Paulo, & ab Augustino tota regione aberrare. Cum enim duo illa Divinæ Gratiæ Oracula, altissimaque Ingenia, quorum prior quidquid scripsit, a Spiritu Sancto accepit; alter, Hæresibus irruentibus, in his de Gratia Controversiis dirimendis summo studio, ac data opera totum pene Vitæ tempus insumpsit;

pfit; uterque omnem humanam laudem præter-gressus; altissima, inquam, duo illa Ingenia, quæ prorsus nihil, quod Menti humanæ sit pervium, latuisse putare juvat, toties pronunciarint, hujusmodi Quæstionum solutionem humani Intellectus captum omnino excedere, profundamque hanc esse Sapientiæ & Scientiæ Dei altitudinem; consequens profecto est, non eam nobis dirimendæ Controversiæ viam arripiendam esse, quam Molina audacius pertentavit; quem certe iis doctiorem, ac oculatiorem Mysteriorum Revelatorem extitisse, nemo dixerit unquam, aut somniarit; ut nimirum Ingenii sui acumine ea pervidisset, quæ Divinos illos Homines absque dubitatione latuerunt. Quare malumus nos cum Apostolo, & Augustino impervia Mysteria tacite venerari, quam cum Molina ejusque Asseclis prophanas novitates temere consectari.

Hæc sunt, Viri Theologi, quæ adversus Jansenium, quoad ejus quinque à S. SEDE proscriptas Propositiones, proferre placuit: ut quisque intelligat, quam juste, quam merito, quam necessario S. ROMANA SEDES, Ecclesiarum omnium Magistra, falli & fallere nescia, nedum Jure, verum & Facto inspectu, easdem censura lata perstrinxerit, atque confoderit, seu nedum, quod eæ secundum sese, absolute, & ut verba sonant, erroneæ sint, & a Catholico Ecclesiæ sensu penitus alienæ; sed ulterius, quod in sensu prorsus hæretico a Jansenio ipso, quem absolvere ejus Partiarii nituntur, assertæ fuerint, atque conceptæ.

Num autem Yprensis Episcopus vere, proprie, & stricto sensu hæreticus dicendus veniat, non ita ego de facili affirmaverim, uti nonnulli minus forte cauti Theologi ore rotundo pronunciare non ambigunt. Aliud enim est, Jansenium Propositiones suas, quæ, ut hæresicæ, ab Ecclesia proscriptæ sunt, in sensu prorsus hæretico docuisse, aut etiam propugnasse, quod hucusque luculenter probavimus; aliud, ob id unum vere, & stricto jure eumdem hæreticum extitisse. Primum ex sola ignorantia, vel inconsiderantia proficisci potuit, qua præjudiciis suis occupatus ea non æque perpenderit, quæ sacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum a intecessum Definitionibus, vel Scripturæ, & Traditionis auctoritate sancita sunt, vel revelata: Hic porro duntaxat dicitur Error in Fide: Alterum vero, præter Errorem, pertinaciam, ac pervicaciam involvere necesse est; qua videlicet Homo errans Errorem suum detectum jam, proscriptumque vel ejurare detrectat, vel mordicus propugnare adhuc contendit. Clarius dicam: ut quis merito, & ad Juris apicem hæreticus sit nuncupandus, non satis profecto est, si Errores in Fide aliquos quomodocumque amplexus aliquando fuerit, foverit, vel etiam docuerit, Scriptove tradiderit; sed ulterius requiritur, ut post latum expresse, & data opera de iis Ecclesiæ Judicium, pronunciatamque ex Juris formulis damnationem, eosdem ipsos per summam audaciam pertinaciter propugnarit, vel saltem illis animo constanter adhæserit, Ecclesiasticis Definitionibus temere obsistens, atque reluctans. Hoc porro de Yprensi Antistite affirmare, salva veritate, neminem posse arbitror. Is quippe (ut in hujusce Disputationis limine præmonuimus) præmatura morte subreptus, quo nondum tempore suæ illæ de Gratia Christi Lucubrationes typis vulgatæ fuerant, Ecclesiæ Judicio refractarius esse non potuit, cum nec illud audierit. Contigit enimvero quinque illarum Propositionum damnatio pluribus ab ejus obitu annis; postquam scilicet illius scripta per Capellanum suum, ut ipsemet Testamento legaverat, publici Juris facta fuere; imo postquam editus Liber, & in Gallias delatus, Masarino Cardinali curante, examen subiit, excerptæque ex illo Propositiones Summi Pontificis Judicio fuere submissæ.

Neque vero Pontificiæ Damnationi reluctantem Jansenium extiturum aliquando, si diutius vixisset, vel si ea, dum viveret, contigisset, æstimare par est: quin illum religiose pariturum, & quæ scripserat ejuraturum, ex iis, quæ in Testamento visuntur, prudens quisque judicare potest, ac etiam debet. Clausulam etenim, ut ab initio ajebam, Testamento ipsi inseruit, qua totum codicem suum S. ROMANÆ SEDIS judicio submittebat, id omne se expuncturum, correcturumve protestatus, quod Illi expungere, vel emendare libuisset: quæ quidem loquendi formulæ tam procul esse ab omni obstinationis, & pertinaciæ suspicione videntur, ut potius Filii ECCLESIÆ Matri obsequentissimi speciem præferant. Quapropter improbanda plane, ac etiam acriter reprehendenda venit impudens quorumdam dicacitas, qui ut sese supra cæteros Ecclesiasticis Definitionibus morem gerere ambitiosius ostentent, frequentius nihil ubique locorum in ore habent, quam invidiosam illam, & ultra, quam par sit, Yprensi Episcopo contumeliosam cum Luthero, Calvino, cæterisque hujus furfuris Tenebrionibus comparationem, ob id unum, quod Propositiones aliquas ille scripserit, & asseruerit, quas ROMANI PONTIFICES censura confixerint, atque Hæreseos notarint. Si id, inquio ego, fat esset, ut quispiam tanquam hæreticus jure merito traduci posset, Pars forte Catholicorum Scriptorum non modica hujusmodi probri insimulanda foret; quorum profecto non paucos recensere fas esset, (si illorum Opera diligentius scrutari quis vellet) clari utique nominis, & fama percelebres; qui Propositiones, Systemata, Dogmata Scriptis, typisque consignarunt, quibus decursu temporis, re ad examen vocata, Censuræ probrosis identidem titulis infartæ ab SEDE APOSTOLICA sunt inustæ. Homines namque sumus, etsi Theologi; Erroribus nimirum quandoque obnoxii, vitiatæ Naturæ ignorantia misere laborantes, præjudiciisque fatalibus non semel præventi, ac sæpe penitus occupati: quo fit, ut pedem semper tuto figere minime valeamus; ibique nonnunquam labamur, ubi firmiores stare nos putabamus. Uni Christi Ecclesiæ, dilectissimæ Sponsæ, ejusque visibili Capiti ROMANO PONTIFICI a providissimo SPONSO in Fidei Dogmatibus stabiliendis, explicandis, ac proponendis INFALLIBILITATIS Privilegium promissum est, atque collatum, ut loco suo, opitulante Deo, demonstrabimus: cæteros cæcutire quoscumque necessum est, quantolibet polleant Ingenii acumine, quantacumque Doctrinæ, ac Eruditionis præstantia antecellant: ut hinc Apostoli Monitum cujusvis animo infixum æternum hærere debeat: *Non plus sapere, quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem: ad Rom. cap. 12.*

TRA-

TRACTATUS QUARTUS

DE

DEO HOMINE FACTO

DISPUTATIO PRIMA.

Adversus Hæreticos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Varia Hæreticorum de Christo Systemata referuntur, ac confutantur.

Adversus Infideles, præsertim Judæos, qui Christo nostro nedum Divinitatem, verum etiam Messiæ adpromissi Sacris in Litteris dignitatem, & Gloriam impie eripere contendunt, omni quo potuimus studio, alibi jam decertavimus. Alteram modo, Superis adsaventibus, Disputationem auspicamur; ut quam peractam contra eos Incarnationem loco laudato Argumentis invictissimis demonstravimus, integram Illam, suisque partibus absolutam adversus insulsas Hæreticorum Cavillationes in præsentia stabiliamus, ac vindicemus. Quamobrem in Eos jam tandem arma convertimus, qui Incarnationem Divini Verbi vere quidem peractam nobiscum sponte fatentur; sed eam nihilominus inique mutilant, deformant, impiisque blasphemiis cumulant, dum Christum, quam Messiam Sacris Oraculis prænunciatum cum Catholicis agnoscunt ac venerantur, suis tamen Titulis & Prærogativis defraudare impudentissime moliuntur. Ut hanc porro spartam feliciter exequar, Illos paucis recensebo, suisque coloribus pingam, quibuscum arma conferenda nobis erunt, satis subinde in sequenti Disputatione facturi Angelicæ Scholæ Adversariis.

Hæreticos itaque Dominicæ Incarnationis Integritatem impetentes duplici statim agmine sitos video, alios Christi Humanitatem, alios ejusdem Divinitatem, adversis licet Consiliis, pari tamen impietate oppugnantes. Christum verum esse Hominem primus, quem sciam, inficiatus est Cerdon; cujus mentionem ingerit D. Augustinus *Libro de Hæresib. Hæres.* 21. Quo semel negato Fidei Capite, illud etiam colligebat, Christum simulare tantum atque in speciem; non autem vere passum, ac mortuum esse. Eidem Errori, sequutis inde temporibus, sese alligarunt Proclianitæ, de quibus idem Augustinus *Hæres.* 60. Tum dein Apelles quidam, de quo Eusebius *Lib.* 5. *Hist. Eccl. Cap.* 13., Valentinus, Priscillianistæ, aliique obscuri satis nominis Tenebriones, qui Christi Corpus non humanum, vereque de Virgine efformatum prædicarunt, sed cælesti quadam subtili materia compactum, quod ad nos per Virginem, veluti per rimam ac fistulam venerit. Ab iis omnibus non procul abiisse putaverim Manichæos; qui Christo Corpus phantasticum tribuebant; quosque Augustinus variis Libris exagitavit, multoque sale defricuit.

In Christi Divinitatem non uno eodemque consilio pugnatum est; sed variis, prout maligno suo quisque Genio ducebatur, Erroribus ventum in aciem. Christum verum quidem Hominem fassi sunt; sed itidem verum Deum, ejusdemque cum Æterno Patre substantiæ pernegarunt Ariani, eo nomine dicti abArio quodam Lybico Alexandrino, qui Sectam illam secundo Ecclesiæ sæculo a variis Tenebrionibus præformatam longe, lateque diffudit sæculo quarto. Triplex progressu temporis Arianorum factio conflata est. Prima, eaque omnium princeps illa fuit, quæ Arii primigenium dogma, putamque illius blasphemiam propugnabat: Christum Dominum scilicet alterius a Patre Substantiæ eidemque plane dissimilem; atque ita in communem creaturarum ordinem ablegandum. Factio altera Semiarianorum fuit; qui videlicet priorum blasphemiam temperantes Filium quidem Patri consubstantialem negabant; eidem tamen per omnia similem fatebantur. Tertia Arianæ impietatis Factio Acacianorum dicta est, quod ejus princeps esset Acacius Episcopus Cæsariensis. Ii scilicet Christum Dominum, quem Patri consubstantialem cum Arianis omnibus pernegabant, Patri tamen per omnia similem cum Semiarianis fateri detrectabant; sed ut ut maxime æternæ speciei similitudinem admittebant.

Nos igitur Arianos, eorumque vel Præformatores, vel Pedissequos non hic in censum vocabimus, qui ut æterno Dei Filio, Verbo a Patre genito, Divinitatem eripuerunt, ita & Christum suo illo titulo defraudarunt. De iis quippe lato admodum sermone suo loco diximus, dum de Trinitatis Mysterio ex instituto disputavimus, nec non alio loco, ubi Arianorum æque ac Judæorum momenta contra Messiæ Divinitatem refutavimus; Sed illos duntaxat in judicium vocabimus, qui cum Æterno Dei Filio Divinitatem attribuerint, eandem tamen novo absurditatis genere Incarnato Dei Filio denegarunt. Ii quippe ad præsentem Disputationem intimius attinent, nostrique jam juris sunt.

In hunc censum computandi veniunt Eutychiani Sæculo quinto tot inter sese dissidiis commissi, ut vix unum alteri consentientem invenias. In hoc quidem conspirant universi, quod duæ in Christo ante unionem Naturæ fuerint, post unionem autem unica. Ita quippe de iis scribunt S. Flavianus *in Epist. ad S. Leonem* (apud Labbæum Tom. 4. pag. 774.) & ipse S. Leo *Epist.* 10. *cap.* 6. At vero qua sorte, quove pacto unica ex duabus Natura coaluerit, non uno, eodemque modo definiunt. Nonnulli, ut legimus apud Theodoretum *lib.* 4. *Hæret. Fabul. cap. ult.*, unam Naturam ex utraque coaluisse fabulantur, per conversionem Humanitatis in Divinitatem. Alii vice versa, de quibus scribit Gelasius *lib. de duo-*